

## CAPUT I.

### DE EXISTENTIA DEI (1).

Priusquam ad existentiam Dei demonstrandam accedamus, operae pretium erit sedulo vestigare quaenam demonstrationes sint validae, quaenam vero non: optimae namque causae saepe haud parum officit demonstratio mala.

### ARTICULUS I.

#### UTRUM EXISTENTIA DEI PROBARI POSSIT A SIMULTANEO.

Cum Deus sit causa prima omnium rerum, patet existentiam eius demonstrari non posse *a priori*, h. e. per causas. Sed notissima est in philosophiae historia demonstratio existentiae Dei *quasi a priori*, vel, ut nunc dici solet, *a simultaneo*. Haec proprie in eo consistit ut ex ipsa idea, quam Dei habemus, inferatur Dei existentia.

**Formae diversae huius demonstrationis.** — Auctorem demonstrationis a simultaneo existentiae Dei constat fuisse S. Anselmum, qui, his ferme verbis, eam exponit in suo Proslogio, cap. II. — Nomine Dei intelligimus ens quo nihil maius cogitari potest. Ast ens quo nihil maius cogitari

(1) Mos invaluit apud philosophos ac theologos bene multos, ante demonstrationem existentiae Dei, satis diu immorari disputando: — 1) circa necessitatem demonstrationis dictae, adversus Ontologos contententes Deum a nobis immediate intueri; — 2) circa possibilitatem eiusdem demonstrationis, adversus Traditionalistas censentes rationem nostram, seposita revelatione traditioneque, omnino impotem esse quae viribus suis assurgere possit usque ad existentiam Dei. Nobis inutile prorsus videtur, praesertim post ea quae in Pneumatologia iam attulimus, studiosos detinere in quaestionibus tam aperte sibi et communi hominum sensui obsistentibus. Si quam novam refutationem Ontologismi ac Traditionalismi aliquis desiderat, eam inveniet in argumentis plurimis, et quidem penu rationis depromptis, quibus contra atheos existentiam Dei vindicare oportet.

potest, non esset revera tale, si existeret in solo intellectu, et non existeret etiam in re, h. e. realiter; etenim existere in solo intellectu, minus est quam existere in intellectu et re. Ergo Deus nequit existere in solo intellectu, sed existere debet etiam in re, h. e. realiter.

Hanc argumentationem plura post saecula instaurarunt, novis sub formis, Descartes et Leibnitz. — En quomodo ratiocinabatur Descartes. Habeo ideam Dei, videlicet entis summe perfecti, in qua clare et distincte perspicio existentiam contineri. Sed quod clare et distincte perspicio contineri in idea alicuius rei, in re ipsa contineri debet. Ergo Deus existit. — Leibnitz maluit hoc alio modo idem argumentum instruere. Concipimus tamquam possibile ens infinite perfectum (Deum), existens ex ipsa sua essentia, seu, quod idem est, ad cuius essentiam pertinet existentia. Iam ens huiusmodi, cum sit possibile, existit: siquidem non esset possibile, si non haberet essentiam; ad essentiam autem eius pertinet existentia. Ergo Deus, eo quod possibilis, existit.

THESIS. — *Argumentum a simultaneo pro existentia Dei admitti nequit.*

**Prob.** — In allato argumento semper simul confunduntur res admodum diversae, quales sunt existentia subiectiva, idealis, et existentia obiectiva, realis; sicque semper ruitur in sophisma quod a Scholasticis appellatur *transitus ab intellectu ad rem*. Re sane vera:

1) Quod spectat ad argumentum S. Anselmi, dato etiam quod quilibet nomine Dei intelligat ens quo nihil maius cogitari possit (hoc autem certe non semper accidit cum quidam crediderint Deum esse corpus), « non tamen propter hoc sequitur quod intelligat id quod significatur per nomen, esse in rerum natura, sed in apprehensione intellectus tantum. Nec potest argui quod sit in re, nisi daretur quod sit in re aliquid quo maius cogitari non potest: quod non est datum a ponentibus Deum non esse » (Cfr. *S. Th.* p. I, q. II, a. I, ad 2<sup>m</sup>).

2) Quod spectat ad argumentum cartesianum, ex hoc



quod in idea entis summe perfecti clare et distincte percipitur contineri etiam existentiam, equidem sequitur nos non posse concipere ens summe perfectum, quin simul ipsum concipiamus uti existens; sed minime sequitur ipsum revera existere. Principium autem Descartes: « *quod clare et distincte perspicio contineri in idea alicuius rei, in ipsa re contineri debet* » verum est si agatur de re uti a nobis concipitur, falsum si agatur de natura quam res ipsa extra intellectum habet.

3) Idem contra argumentum Leibnitz dicendum. Ex eo enim quod concipimus possibile Ens maxime perfectum, ad cuius essentiam existentia pertinet, consequitur quidem huiusmodi Ens non posse a nobis concipi tanquam possibile, nisi tanquam existens concipiatur; at nunquam inferri potest idipsum ex parte rei locum habere et veritatem (SANSEVERINO, *Instit. phil., Theol. nat.*, cap. I, art. II).

**Obi. I.** — Argumentum a simultaneo non solum a S. Anselmo, Descartes et Leibnitz, sed etiam ab aliis summis doctoribus propugnatum fuit. Ergo...

**R.** — *Concedo antec.*, sed *nego cons.* Hic iuvat recolere vulgatum illud: *amicus Plato, amicus Cicero, sed magis amica veritas*. In rebus philosophicis auctoritas tantum valet, quantum fulcitur rationibus. Porro doctoribus praecitatis alii quamplures, imo fere omnes philosophi ac theologi opponuntur, qui, duce Aquinate, argumentum a simultaneo prae-fracte reiiciunt: existimant enim ipsum non nisi ad fucum faciendum idoneum esse.

## ARTICULUS II.

### PROBATUR EXISTENTIA DEI A POSTERIORI.

A posteriori multimode convinci potest existentia Dei. Ex omnibus tamen argumentis quibus philosophos usos fuisse accepimus, sex magis communia seligimus, videlicet: — 1) metaphysicum; — 2) physicum; — 3) psychologium; — 4) historicum; — 5) morale; — 6) denique illud quod ab exitalibus atheismi consecrariis educi solet

### I. — ARGUMENTUM METAPHYSICUM.

Praesens argumentum educitur ex contingenti mundi natura, et varie a variis conficitur.

**THESIS.** — *Contingens mundi natura arguit existentiam Dei.*

**Prob.** — Mundus est natura contingens, est scilicet per se indifferens tum ad existendum; tum ad non existendum. Itaque si ipse existit, ut reapse existit, profecto ab alio existentiam accepit. Sed fingi nequit series infinita entium quorum unum ab alio producat, quin tandem deveniatur ad ens primum quod non sit ens productum, sed sit ens *a se*, ens scilicet existens ex ipsa natura sua, ens absolute necessarium. Ergo contingens mundi natura arguit existentiam entis absolute necessarii. Atqui ens absolute necessarium est quod Deum appellamus. Ergo...

Inter omnes propositiones quibus polysillogismus hic noster coalescit, una prima, nimirum propositio affirmans contingentiam mundi, indiget demonstratione. Ergo contingentiam hanc demonstrabimus sequentibus argumentis.

**I.** Omnes res mundanae, natura sua:

1) Sunt mutabiles (ut observatio communissima et continua testificatur) quoad substantiam, quoad qualitates, quoad operationes, quoad molem, quoad numerum, quoad locum.

2) Sunt compositae: — *a*) partibus essentialibus (materia et forma), nam transformantur, vel saltem transformari possunt; — *b*) partibus integralibus, seu quantitativis, nam sunt extensae et divisibiles; — *c*) substantia et accidentibus, nam persaepe mutantur in suis accidentibus, quin tamen mutantur in sua substantia; — *d*) facultatibus et operationibus, nam non semper agunt omnia quae facultatibus suis agere possunt.

3) Sunt finitae, siquidem: — *a*) una caret perfectione alterius; minerale e. g. caret perfectione vegetalis, vegetale caret perfectione animalis bruti, animal brutum caret per-



fectione hominis, homo caret perfectione angeli; — *b*) sunt undequaque compositae, et quae sunt composita nequeunt esse nisi finita, resultant enim partibus quarum unaquaeque, cum sit pars, necessario est finita, finitum vero quomodo-cumque multiplicetur non nisi finitum praebere potest.

Post haec advertite. Cum omnes res, quibus mundus conflatur, sint mutabiles, compositae, finitae, mundus item erit mutabilis, compositus, finitus. Sed in Ontologia visum est, atque in altero Theologiae naturalis capite rursus et latius videbitur, necessitatem absolutam nullo modo consistere posse cum mutabilitate, compositione, limitatione. Ergo repugnat mundum esse absolute necessarium. At inter absolute necessarium et contingens non datur medium. Ergo mundus est contingens.

II. Certo certius est unumquemque nostrum paucis abhinc annis existere: ipsum autem genus humanum ex monumentis historiae, tum sacrae tum profanae, colligitur non ultra septem vel octo annorum millia excurrere. — De speciebus variis brutorum vegetaliumque item dicendum est non semper extitisse; constat enim ipsa quoque ocepisse aetatibus, quae licet valde remotis, sunt tamen pro nihilo computandae relate ad aeternitatem. — Restat quaestio de mundo inorganicorum, sive terrestrium, sive caelestium. Sed etiam de mundo huiusmodi fatendum est suam genitalem originem habuisse. Revera, iuxta Clausius, W. Thomson, Helmholtz, Secchi et alios, mundus in suis mutationibus prosequitur terminum determinatum (*stato limite*), quem profecto iam adeptus fuisset si ab aeterno existeret (1).

(1) « La lunga serie di anni che misura le rivoluzioni celesti, è parallela alla serie sopra cui il geologo calcola le durate delle rivoluzioni del globo; ed in questo i due estremi, la immensità dei cieli e la durata del nostro piccolo pianeta, si toccano. Ma anche qui siamo lungi dall'averne una durata infinita; se essa fosse tale, l'attività mondiale sarebbe già estinta. L'attività è fondata sopra le differenze di energia nelle diverse regioni, e questa energia tendendo sempre a livellarsi ed eguagliarsi, con una durata infinita anteriore avrebbe già raggiunto l'equilibrio generale, e quindi ogni fenomeno mondiale sarebbe reso impossibile » (SECCHI, *La grandezza del Creato*, Disc. 2°).

Hisce positis, sic argumentamur. Si mundus totus quondam non erat, liquet ipsum non esse absolute necessarium; quod enim est absolute necessarium, nequit non esse, et ideo ab aeterno est. Sed inter absolute necessarium et contingens non datur medium. Ergo...

III. — In conceptu hominum mundus est contingens. Et vero, homines talem praesferunt mundi conceptum, ut nulum appareat metaphysicum absurdum, si illum supponant non existere. — Res confirmatur inductione; si namque supponas non existere atomum A, vel atomum B, hanc vel illam moleculam, illum lapidem, planetam illum, vel etiam totum solare nostrum systema, quodnam inde sequeretur metaphysicum absurdum? Nullum plane! Ergo idipsum tenendum est de cunctis mundi partibus, atque idcirco de mundo universo. — Iam quae ita existunt, ut metaphysice loquendo possent etiam non existere, non sunt absolute necessaria, scilicet sunt contingentia (1). Ergo...

Coroll. I. — In magno errore detinebantur veteres illi philosophi (inter ipsos censendus videtur Plato), qui mate-

(1) « Si distingua la necessità ipotetica dalla relativa e dalla assoluta. Ha necessità ipotetica e conseguente un essere, che, posto qualche fatto anteriore, non può non esistere. La materia per es., posto il fatto che Iddio la volle creare e la vuol conservare, attualmente non può non esistere. Ha necessità relativa una cosa per rispetto all'esistenza di un'altra. Per es., il sole per riguardo ai viventi che sono sulla terra è di relativa necessità. Finalmente ha necessità assoluta un ente, a cui conviene essenzialmente l'esistere; un essere, la cui esistenza è voluta dalla sua stessa essenza, talchè ripugni il concepirlo non esistente. Ora nessuna delle sostanze corporee che sono nella natura ha un'esistenza così fatta (nè gli astri, nè la terra, nè l'acqua, nè l'aria, nè gli alberi, nè gli animali, nè l'uomo) e neppure la somma di queste sostanze è in tali condizioni. Perchè, come io posso supporre la non esistenza di un metro cubo per es. di materia, così posso supporre la non esistenza di due, di tre, di un numero indefinito di metri cubi fino ad annullare senza cadere in alcuna contraddizione tutta la materia. Dunque la materia non ha un'esistenza necessaria, ma contingente.

E questo appare anche dalla mutabilità della materia stessa. Perchè in un ente, che ha esistenza necessaria, tutto quello che vi è non può non essere. Ma un ente, che si muta, o perde o acquista nella sua entità. Dunque un ente, che si muta, per ciò stesso è contingente. (ROSSIGNOLI, *Principii di Filosofia*, vol. I, Metafisica, n. III).



riam rati sunt aeternam esse atque improductam, Deum autem nonnisi formam seu ornatum ei elargitum esse. Materia est subiecta continuis mutationibus, est undequaque composita atque imperfectissima rerum. Iam quidquid est mutabile, compositum, finitum, est etiam contingens; contingens autem, si existit, per se non existit, sed est productum.

**Coroll. II.** — In non minori errore detinebantur *optimistae* (Abelardus, Leibnitz, Malebranche...) autumantes praesentem mundum esse, non tantum relative, sed absolute perfectum, nimirum esse optimum inter mundos possibiles. Mundus est finitus; finito vero semper aliquid novi adiungi potest.

**Coroll. III.** — Fautores progressus necessarii, universalis, infiniti, non sunt audiendi. Ipsi enim:

1) Reluctantur rationi, quia: — *a*) fingunt materiam aeternam atque improductam; — *b*) contendunt species superiores viventium a speciebus inferioribus, et species inferiores a sola materia sua sponte originem duxisse; — *c*) aequiparant causam liberam, i. e. voluntatem humanam, causis physicis aliisque necessario agentibus.

2) Reluctantur experientiae, quia: — *a*) si fidem adhibemus physicis atque astronomis, mundus totus in finem tendit praefinitum, quo adepto eius conditio non erit melior quam in praesentia sit, sed longe deterior; — *b*) species viventium, si non pereunt omnino (ut saepe iam accidit, quin tamen speciebus melioribus praeberent originem), stabiles sese commonstrant; et si quandoque hominis arte accidentaliter mutantur, sibi ipsis permissae, cito ad typum primitivum redeunt (Cfr. pag. 50-1); — *c*) homines, non necessario, sed libere agunt (Cfr. pag. 206-8): unde, historia teste, societas humana non semper et ubique progreditur; sed quando et ubi cives omnes suam vitam ad verum bonumque componunt.

**Obi. I.** — Quanquam omnes res materiales sint mutabiles, compositae, finitae, immerito idem affirmatur de earum collectione, seu de mundo. Ergo primum argumentum pro mundi contingentia nihil probat.

**R.** — *Nego antec. et cons.* Mundus, cum, ut adversarius fatetur, nihil aliud sit nisi collectio rerum materialium, neque habet, neque habere potest naturam diversam ab ipsis. Iam ipsae sunt natura mutabiles, compositae, finitae. Ergo...

**Obi. II.** — Mundus videtur esse infinitus, si non quoad perfectionem, saltem quoad extensionem; etenim quo magis crescit potentia telescopii, eo magis protenduntur illius limites. Nunc si mundus esset infinitus quoad extensionem, terminus ille in quem, ex sententia naturalium, tendit suis mutationibus, neutiquam adipisceretur et argumentum secundum pro mundi contingentia evanesceret.

**R.** — Verum dicit adversarius, sed falso supposito ininitur. Et sane:

1) Limites mundi, quos non valet attingere sensus, perlucide attingit ratio, quae nobis dictat materiam seu quantitatem continuam, actu infinitam, repugnare sicut repugnat infinitum oriri ex multiplicatione finiti;

2) Etiam si materia actu infinita non repugnaret, tamen admitti non posset, quia, in adversariorum hypothesis, impediret omnem motum. Révera si daretur materia actu infinita, omnia ex ipsa plena atque stipata essent. Sed, iuxta alia adversariorum placita, materia est impetrabilis ac nonnisi condensationem et rarefactionem apparentem admittit; unde, si omnia ex ipsa plena atque stipata essent, motus redderetur omnino impossibilis. Ergo...

**Inst.** — Qui fingunt materiam actu infinitam, fingunt etiam ipsam esse dispertitam in atomos infinitas, magnis disiunctas intervallis, quibus facillime moveri possint.

**R.** — Haec est alia ex tot contradictionibus quibus undequaque scatet materialismus. Si enim atomi sunt numero infinitae, aut omne penitus spatium replebunt, aut habebimus numerum infinitum atomorum, cui tamen aliae et aliae atomi indefinite adiungi poterunt.

**Obi. III.** — Inter finitum et infinitum non habetur ulla proportio. Ergo non possumus ex cognitione finiti assurgere ad cognitionem infiniti.



R. — *Conc. antec. et dist. cons.* Non possumus ex cognitione finiti assurgere ad cognitionem perfectam infiniti, *conc.*; ad cognitionem aliquam imperfectam, *nego.* Et vero, quamquam finitum non habeat proportionem naturae cum infinito, habet nihilominus relationem dependentiae ab ipso sicut effectus a sua causa. « Ex quolibet autem effectu potest demonstrari propriam causam eius esse, si tamen eius effectus sint magis noti quoad nos (sicut in casu nostro); quia cum effectus dependeant a causa, posito effectu, necesse est causam praexistere » (Cfr. *S. Th.*, p. I, q. II, a. II). Ergo... (1).

Obi. IV. — Ad producendos effectus contingentes, finitos, sane sufficit causa contingens et finita.

R. I. — Quando praexistit aliquod subiectum in quo causa praedicta agat, reducendo ad actum effectum qui in

(1) « L'infinito è più perfetto del finito. Ora il più perfetto non si conosce per mezzo del meno perfetto; il più racchiude il meno, ma il meno non racchiude il più. Dunque il finito non potrebbe farci conoscere l'Essere infinito e darci un'idea dell'infinito. . . . . »

» San Tommaso ha preveduto anch'egli la citata obiezione e se la oppone eziandio con maggior energia là dov'egli prova la dimostrabilità *a posteriori* dell'esistenza di Dio: « Se si dimostrasse che Dio esiste, dice l'oppositore, ciò non sarebbe se non dagli effetti suoi; ma gli effetti sono a lui sproporzionati, essendo che egli sia infinito..., mentre gli effetti sono finiti...; e tra il finito e l'infinito non c'è proporzione.... Adunque, non potendosi la causa dimostrare per un effetto che non ha con essa proporzione, sembra che non si possa dimostrare che Dio esista ». Il santo dottore fa notare al suo avversario che per quella obiezione si confonde malamente la conoscenza perfetta, che non si può avere se non con un mezzo logico proporzionato, con l'imperfetta, la quale non esige quella proporzione, ma solamente una relazione fra il principio assunto ed il termine che per mezzo di quel principio si conosce. E questa relazione esiste veramente, perciocchè il finito è un effetto, ed in quanto effetto contiene logicamente la sua causa da cui dipende. « *Ad tertium dicendum, quod per effectus non proportionatos causae non potest perfecta cognitio de causa haberi: sed tamen ex quocumque effectu potest manifeste nobis demonstrari causam esse, ut dictum est (in corp. art.). Et sic ex effectibus Dei potest demonstrari Deum esse, licet per eos non perfecte possimus eum cognoscere secundum suam essentiam* » (ZIGLIARA, *Della luce intell.*, lib. I, cap. XV, n. 104-5).

illo reperitur iam, licet tantum in potentia, *conc.*; secus *nego.* Iam materia initialis, virtutes seminales primorum vegetalium animaliumque brutorum in nullo praeiacente subiecto existebant; idem dicatur de singulis animabus humanis quae iam creatae fuerunt, ac de singulis quae in posterum sunt creandae. Ergo...

II. — Cum ex una parte omne contingens et finitum aliud ens praesupponat a quo existentiam acceperit, ex altera vero fingere seriem entium productorum, sine ullo primo ente improducto, repugnet eodem modo quo repugnat fingere catenam in alto suspensam, sine ulla vi quae eam sustineat; posita existentia alicuius contingentis et finiti, aut immediate, aut mediate, admittenda quoque est existentia necessarii et infiniti. Hic autem non nobis in animo est attribuendi immediate enti necessario et infinito effectus seu res omnes contingentes et finitas, quae in lucem prodierunt vel prodeunt; sed illas tantum, quae a nullo alio finito et contingenti effici potuerunt vel possunt. Ergo...

§ II. ARGUMENTUM PHYSICUM.

Hoc alterum argumentum, multo magis obvium, sed non minus demonstrativum argumento metaphysico, prodit ex ordine mirabili qui in mundo elucet (1).

(1) Huic argumento stricte connectuntur duo alia, quae ab *ordine logico* et *ordine ethico* educi solent.

Non solum inter res existentes, sed etiam inter veritates universales, abstractas, quae, quasi leges indeclinatae cogitandi et agendi, obstringunt mentem et voluntatem hominum, viget ordo mirabilis; quo fit ut unusquisque, rationis ope, ex una illarum in alias discurrere, et a summis ad imas, ab imis ad summas, pertinere possit, dummodo rite procedat, sectando relationes quibus illae inter sese cohaerent. Veritates dictae earumque relationes: — 1) per se non subsistunt; res est manifestissima, siquidem res sunt abstractae, ideales; — 2) non sunt mera figmenta nostra, enimvero, conscientia teste, ipsae sunt a nobis independentes; quin imo dominantur in nos, et si quis non obtemperat earum imperio, longe a veritate atque ab honestate exulat, falsus et reprobus efficitur, conscientiae stimulis exagitur; — 3) habent equidem suum fundamentum logicum in ordine physico, nempe in naturis ac relationibus rerum existentium, quatenus mens nostra, in unione cum corpore, non nisi ex rebus